



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consensus Veteris Et Moderni Papatus**

**Reck, Johann von der  
Monasterii Westphaliæ, 1722**

XII. De libero hominis arbitrio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

etiam ignorantes vident, quid sequi debeant; in ipsâ legunt, qui literas nesciunt.

*Item lib. 7. epist. 53.* Scio quidem, quòd imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas; sed ob recordationem filii Dei in amore ejus recalescas.

*S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9.* Docet honorandas imagines, quia honor iste ad earum prototypum, sive ad res illas, quas nobis exhibent, refertur. Qui verò aut operatur aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit; sed illud potiùs, quò talia cuncta referenda sunt.

## X I I.

### De libero hominis arbitrio.

*S. Cyprianus lib. 1. epist. ad Cornelium.*  
Nec præpositum servum deserere à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia

lia

lia summa facientem, & virtutes factorum suorum Dei Patris testimonio comprobantem, Discipuli sui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est; sed magis conversus ad Apostolos suos dixit: nunquid & vos vultis ire? servans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibi met ipsi vel mortem appetit, vel salutem.

*S. Clemens Romanus l. 3. recogn.* Sed Sed dic: quomodo ergo Deus judicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate sua non habuit? hoc si teneatur, convulsa sunt omnia. Frustra erit studium sectandi meliora; sed & iudices sæculi frustra legibus præsumunt & puniunt eos, qui male agunt: non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent.

*S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4*  
*Illuminat.* Anima sui juris, sui que ar-

bitrii est : & diabolus eam sollicitare , falleréque quidem potest ; at cogendi , nisi velit ipsa , potestatem non habet. Suggestit tibi scortationis cogitationem : si velis , admittis : nam si necessitate coactus scortare-  
ris , quam ob rem Deus gehennam parasset ? Mansueta est ovis : verùm nunquam ea propter eam mansuetudinem coronam est adepta ; quandoquidem ea mansuetudo non animi iudicio voluntatéque , sed naturâ instituta est.

*S. Hieronymus lib. 2. contra Jovin. c. 2.* Liberi arbitrii nos condidit Deus : nec ad virtutes , nec ad vitia necessitate trahimur : alioquin ubi necessitas , nec damnatio nec corona est.

*S. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio c. 1.* Habemus liberum voluntatis arbitrium , & non nisi eo peccamus.

*Item libro de quantitate anime c. 6.*  
Datum est animæ liberum arbitrium,  
quod qui nugatoriis ratiocinationibus  
bus

bus labefactare conantur , usque a-  
deo cæci sunt ; ut ne ista quidem va-  
na atque sacrilega , propria volunta-  
te se dicere intelligant.

*Item lib. 5. de civitate Dei c. 10,*  
Quocirca nullo modo cogimur , aut  
retentâ præscientiâ Dei tollere vo-  
luntatis arbitrium ; aut retento vo-  
luntatis arbitrio , Deum , quod ne-  
fas est , negare præscium futurorum :  
sed utrumque amplectimur , utrum-  
que fideliter & veraciter confitemur.

### X I I I.

De bonis operibus , & eorun-  
dem merito.

*S. Cyprianus de unit. Eccles.* Justi-  
tiâ opus est , ut promereri quis pos-  
sit Deum : præceptis ejus & moni-  
tis obtemperandum est , ut accipiant  
merita nostra mercedem

*S. Chrysostomus conc. 4. de Lazaro.* Si  
justus est Deus , & his & illis reddet  
pro meritis. Quòd si & his & illis re-  
pendet pro meritis : hìc verò nullus